



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Christiani Mayer E Societate Iesv, Diarivm
Meditationvm, De Præcipvis Vitæ Christi mysteriis**

Mayer, Christian

Coloniæ Agrippinæ, 1635

3. De Baptismo Christi Matth. 3.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60091)

tia, & mortificationis, studium orationis & puritatis cordis.

III. Ioannes prædicationem suam diuersis auditorum languoribus curandis prudenter attemperabat; proteruorum Phariseorum, & Saduceorum hæreticorum errores acriter refutâdo; plebi, publicanis, militibus benignè præcepta salutis singulis accommodata impertiendo, omnes ad seriam pœnitentiam, tum spe præmiorum, tum metu suppliciorum, inflammando. Omnibus omnia factus est, vt omnes faceret saluos. Quisquis optat multas animas lucrari, hoc discretè studeat æmulari. Zelus discretus.

De Christi Baptismo. Matth. 3.

III.

I. **C**Hristus amantissimæ Matri, quæ cum iam 30. annos suauissimè conuersatus fuerat, de eius quidè abitu mœrenti, at de appropinquante redemptione Israelis gratulanti, valedixit, propositumque suum exposuit. Quàm eximios resignationis affectus in hac ab inuicem diuulsione talis Mater, & talis Filius elicuerint, omnem affectum naturalis amoris exuendo, & diuino Patris beneplacito penitus se conformando, quàm libenter Filium

lium

lium Mater fuisset comitata? at quia id non licuit, quàm ardentius id exercere statuit domi in secreto, quod ipse præstiturus erat in eremo? Mortificatio naturalis amoris erga charos in hac vita, resignatio, ardens Christi imitatio.

II. Contulit se ad Iordanem, ubi Ioannes baptizabat, quem is cum de facie antea non nouisset, Spiritu sancto reuelante agnouit, quàm ingenti cordis exultatione! multò sanè maiore, quàm olim in Matris utero: quàm ineffabili tantę eius humilitatis admiratione, cum videret eum nunc peccatoribus assimilari, licet absque peccato, dignatum, quem tunc agnorat amore hominum incarnatum. Quales interim Christus, tum ad Iordanem pergens, tum inter peccatorum & publicanorum (quorum horrenda scelestia peruidebat) turbas ad Ioannem appropinquans frequentarit affectus intimę humilitatis, ardentissimęque ad omnes ignominias, contumelias, iniuriasque amore nostri perferendas resignationis, commiserationis item erga sordidos & miseros peccatores, & zeli illos lauandi in sanguine suo? Gratitude, humilitas, resignatio.

III. Io-

III. Ioannes appropinquanti Iesu ait: Ego à te debeo baptizari, & tu uenisti ad me? cui Dominus: Sine modo, sic enim decet nos implere omnem iustitiam, tunc dimisit illum. Quanta reuerentia & humilitas fuerit Ioannis, tam clarè propriam vilitatem, & infinitam Christi maiestatem intuentis? quanta simul obedientia nutui Christi, ne verbulo quidem ampliùs reluctantis? at quantum maior Christi humilitas eò usque se demittentis? quantum item maior obedientia non solum ad hunc baptismum fluminis, sed etiam ad baptismum sanguinis & passionis se ultrò æterno Patri offerentis! Gratitude, amor, zelus imitandi illam humilitatem, obedientiam, amorem crucis.

De eodem Christi Baptismo.

IV.

I. **C**Hristi sic baptizari dignati stupenda humiliatio, clarificatur à Patre æterno triplici indicio, 1. Aperi sunt ei cæli, ad indicandum de cælo ipsum venisse, ut nobis viam ad cælum aperiret, & arcana cælestia reuelaret. 2. Descendit Spiritus sanctus corporali specie sicut columba in ipsum, ad significandum, super ipsum veluti florem Iesse requiescere septiformem Spiritus sancti gratiam, & per ipsum,